EPISTOLA

Poetæ Latini Amatoria.

PErlege verſiculos, Charitum Pulcherrima, Noſtros,
Tyndaridos titulo digna Puella frui.

Dumq; legis, ſenſim præcordia flamma ſubintret,
Et repleat vacuum cor generoſus Amor.

Nam Me Pegaſides non aſpernantur Amantem:
Sunt Muſæ faciles in mea vota Novem.

Mille meos *Nymphæ* Thalamos petiere venuſtæ:
Mille *Puellarum* vota tenere potes.

Nam mihi *Cunctarum* ſubeunt faſtidia, poſtquam
Conjugij ſpes eſt, o *Galatea*, tui.

Jungere Te ſacro ſi Tu dignabere *vati*,
Ornabit Thalamos quæq; *Camæna* tuos.

Orpheæq; Lyræ reſonabunt fila Canora:
Et *Phœbus* docto pollice tanget Ebur.

Ancillæ officium præſtabit Candida *Clio*,
A lectoq; aderit *Gratia* quæq; tuo.

At ne contemnas noſtros, *Amarylli*, Calores,
Rem Tibi narrabo protinus ipſe meam.

Eſt mihi *Prædiolum* * *Parnaſſi* Collibus altis,
Reſpondet veſtris dotibus illa *Domus*.

Hic † virides creſcunt *Hederæ*, *Lauriq;* Decoræ,
Semper et ingenij * *Flumina* clara *meant*.

* *Bene locatum & ſitum.*

† *Sylveſum.*

* *Bene aquatum.*

Hinc de longinquo Mundi contemplor honores,
Me Juga *Parnassi*, me *Paradisus* habet.

Transitus in *Cælum* brevis hinc, non dura *Catena*
Me retinet: volucer *Pegasus Astra* petit.

(a) *Boni Proximi.*

Et mihi vicina est Artis Regina (a) *Minerva*,
Hic Aula est *Phœbi*, *Pieridumq*, domus

(b) *Optimum sodalitium.*

Sunt mecum (b) Comites, bellissima turba, *Poetæ*,
Mulset & Auriculas *Musica* docta meas.

Sæpe mihi Gratum Comitem se præbet *Homerus*:
Et mihi *Virgilius* bellica facta canit.

Oblectatq; Animum *Satyris Juvenalis* acutis,
Et *Scuticis* servos corrigit *ille* meos.

Sæpe meos agitas Pulmones *Flacce*, dolenti,
Et sanat *bilem* musa *Jocosa* meam.

Herus Leandriq, canit *Musæus* Amores,
Hesiodusq, mihi Carmina *Mira* Canit.

Custoditq, *Maro*, Pastorq; *Theocritus* Agnos:
Pythagoras Mores me docet ipse bonos.

Prælia luce carens *Grandævus* cantat *Homerus*,
Et *Naso* teneri Doctor Amoris erit.

Et stetit ante fores celeri *Caducifer* ala,
Dixit &, Hæc *Phœbus Laurea* serta dedit.

" Teq; Domum vocat hic excelsæ vertice *Nisæ*:
" Nam *Vatum* celebrem convocat ille gregem.

" Vatibus hic vobis *convivia* clara parantur;
" Amphora vos veteri *Nectare* plena manet.

" *Unda Caballino* dabitur Tibi *fonte petita*,
" Inq; Jugis *Cyrrhæ* nocte quietus eris.

" Inde fluent *versus*, epoto *Gurgite* sacro;
" Et primo ut vigiles *Ennius* alter eris.

" Orphæus

"*Ospheus* hic aderit, Cytharæq; peritus *Arion*,
"Saltabunt *Satyri Fieridumq;* Chori.

Hæc *mihi Mercurius* promiserat, hæc ego *vobis*;
Pegasidum sueris missa *Puella* Gregi.

His liceat semper socijs colludere *Nymphis*:
(c) *Cultrices* Thalami *Numina Nostra* tui.

(c) *Bride maid.*

Hospita sæpe mihi *Clio*, *Cliusq;* *Sorores*,
Nec temnit nostram Docta *Minerva* Domum.

Invisit *vatem* nuper Divinus *Apollo*,
Nec tempsit nostræ tecta subire *Casæ*.

Estq; mihi *Laurus viridis* *Diadema* Poetæ,
Sceptrum facundi *virgula* Mercurij.

Parnassus Domus est: Potus *Pirenides* undæ.
Pegasus & plenus nectare *Bucephalus*.

Sum *Rex*: & summo *Parnassi vertice regno*:
Et potior *Solio*, Magne *Tibulle*, tuo.

Tu conjuncta mihi fies *Regina* Poetæ:
Reginam Cirrhæ dedecus esse putas?

Ex hederis textum cum Te *Diadema Coronet*,
Invidiam cunctis inde movere potes.

Juncta meo lateri *Curru* rapieris eodem:
Jungetur vestris *Pegasus* ipse *rotis*.

Conjugis Ille meæ famam super *Astra Polosq;*
Evehet, & Nostræ *Palladis* instar eris.

Utq; Pater *Phœbus radijs* loca cuncta Coruscis
Lustrat, & in solio *lucida* Regna tenet:

Sic mea per latas *radiabunt Carmina* terras:
Omnia sunt *scriptis* plena futura meis.

Famaq; *Perkinsi* per sæcula longa manebit:
Et *Solem* & *vatem* finiet una dies.

Cum

Cum *Phaetonteis* ingens flagrabit Olympus
Ignibus, & fient Terra fretumq; *Chaos*:

Carmina *Communi* mea protinus *igne* peribunt:
Una *mei* & *Mundi* flamma ſuprema rogi.

Angeliciq; Chori plorabunt funera Mundi,
Et rapient ſævis Carmina noſtra *focis*.

Verſibus & noſtris cum *fæx terrena* peribit,
Particulam ſanctam ſumma per Aſtra ferent.

Non *ignes* metuere mei, non *fulmina* verſus:
Non tanget lauros *flamma triſulca* meas.

Non *Saturnus* edax: non duri, *Zoile*, *Morſus*:
Non perdet Verſus invida *lingua* meos.

Ergo laurigerum noli contemnere *Amantem*
O mihi vel *Muſis* Charior una meis.

Ex Parnaſſo.

Joſ. Perkins.

BIBLIOTECA MUSEUM

FINIS.